PIIS MANIBUS

Generosi atque Magnifici Domini,

DOMINI

GEORGII Schmieden von Schmiedenbach/

Præ-Consulis Senioris & de Republ. Thorun. optime meriti,

Anno 1629. *d.* 30. *Martii nati,*

Anno 1697. *die* 11. *Octobr. post* 7. *matut. inter pia suspiria precesque adstantium denati,*

ac die 17. *ejusd. mens. avito sepulchro solenniter illati,*

Monumentum doloris erigere voluit

GEORGIUS HENRICUS CZIMMERMANN, *Thorun.*

B. Dn. Præ-Consulis ex Sorore Nepos.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Breslerus.

SI mihi tot voces, qvot dantur gramina campi
Suppeterent; ſterilis mutaq; Muſa foret.
Si mihi Pierios latices guſtare liceret,
In vacuos ferrem mœſta theatra modos.
Si vel Virgilius mihi carmina ſcriberet ipſe,
Non tamen exprimeret triſtia fata bene.
Qvot facies diræ, qvot monſtra tremenda per orbem
Incutiunt noſtro multa pericla ſolo.
Tam ratio rerum confuſa ac horrida nunc eſt,
Seu fora, ſeu thalamos, templave ſancta vides.
Infauſtum terris, ſcelerata licentia, nomen
Imperium toto fixit in orbe ſuum.
Si ſublime nihil, ſi nulla abſtruſa crepabis,
Indocti ſtolidum te ſimul eſſe putant.
Aſt hæc qvid memoro? opus his qvid triſtia fanti?
Qvæ vires noſtras contumulare volunt.
Plurima dependent a juſto Numine fata,
Qvæ nos infauſtos collaq; noſtra premant:

Hæc

Hæc tamen exſtirpet cœleſtis gratia Patris,
Nec velit, ut nobis maxima damna creent.
Qvando domus miſeræ princeps collapſa columna eſt,
Collabi cupiunt cætera membra domus.
Ne tamen hoc noſtræ contingat (deprecor) urbi,
Qvam Deus auxilio præſidioq; tegat.
At qvem nos flemus, cui nos monumenta paramus,
E SCHMIDII claro ſangvine natus erat.
Publica conſiliis qvi commoda juvit honeſtis,
Qvemq; ſitis levium nulla ſubegit opum.
Nec vel opes deerant, vel honos, vel cætera dona,
Dona, qvibus virtus inclyta ſæpe viret.
Præ-Conſul magnus, juſtus, pius atq; fidelis
E ſtatione ſua morte peremptus abit.
Flos ævi heu! cecidit, ſed odor ſe fundit in auras,
Nunc qvoq; virtutum non periturus odor.
Sunt hi privati publicis cum qveſtibus actus,
Et reſonat noſtros mœſta qverela Lares.
Sed qvid opus nimio luctu nimisq; qverelis?
Non revoco gemitu funera mœſta meo.
Hic vitæ in ſtadio ſcopus eſt, hæc meta laborum,
Qvisqvis ad hanc curſum dirigit, ille ſapit.
Omnes ad metam miſeri properamus ad unam,
Ac cunctos tandem nos manet una dies.
Et bene: jam puros mundi poſt nubila Cœlos
Mens habitans Phœbi clarior igne micat;

Exſpe-

Exspectatq; diem, sociæ qua reddita carni,
Continuet vitæ gaudia perpetuæ.
Christum igitur gestet fidenti in pectore, quisquis
Nobiliore sui vivere parte cupit.
Præ-Consul *noster non mortuus; vivit at ille*
In cœlis, terris, pectoribusq; piis.
Interea casus monumentum servet acerbi
His lapis inscriptus, qui tegit ossa, notis:
Hac SCHMIDII Magni corpus dormitat in urna,
Pars melior celsi sede recepta poli est.
Mortalis vixit, cadit, immortalis ut esset.
Sanctam animam Christi deposuit gremio.
Tu quoq; vive Deo vitæ melioris amore,
Teq; paras & dictâ pace, Viator, abi.

